

Zielinski

ESTRATTO

PUBBLICAZIONI DELLA UNIVERSITÀ CATTOLICA DEL SACRO CUORE

SERIE QUARTA: SCIENZE FILOGICHE

VOLUME VII

RACCOLTA DI SCRITTI  
IN ONORE DI  
FELICE RAMORINO



SOCIETÀ EDITRICE « VITA E PENSIERO »  
MILANO

Bibliothèque Maison de l'Orient



151529

## Abiecta non bene parmula...

### I.

Haec quatenus ad ipsum sententiae auctorem pertineant, iam dudum ita explicata sunt, ut meram metaphoram significare videantur: neque enim Horatium, utpote tribunum, ullam parmulam parmamve gestasse. Immo cum fugam suam Philippensem excusare vellet, apte compositis verbis ad Graecorum poetarum exemplum alludit, qui ne ipsi quidem de fuga vitae salvandae causa capessita confiteri dubitavissent — Graecorum — id est Archilochi, Alcaei, Anacreontis, ingenio et vita dissimilium ut qui maxime, hac una in re concordium, quod sibi clipeum in summo discrimine amissum opprobrio fore non putaverunt. Quae res post antiquos etiam recentiorum hominum ingenia exercuit, idque iam inde a Mureto; qui cum in « Variis lectionibus » hanc miram in ignavia non confitenda solum verum etiam amplectenda concordiam illustrasset, solita elegantia rem ita transegit, ut etiam de poëtis valere diceret, quae Iupiter homericus Veneri respondet: οὐ τοι, τέκνον ἐμόν, δέδοται πολεμῆια ἔργα.

Non acquieverunt hac explicatione qui post Muretum de ea re scripserunt, et recte quidem. Aliud est enim probrum in se admittere, aliud admissum praedicare: illud imbecillitatis est humanae. hoc φιλοπονηρέαν quandam sapit Phidippidi aptiorem Iniusti discipulo vel adeo Ballioni comico. Ceterum cum horum poëtarum ordinem ducat Archilochus consentaneumque sit cum posterioribus etiam Horatium ad eum se potissimum applicasse, eius nobis causa ante alias consideranda est, an quid certius, quam adhuc prolatum est, de ea enucleari possit.

Et versus quidem eius, licet notissimi sint, hoc tamen loco omittendi esse non videntur; sunt autem hi (fr. 6 B.):

Ἄσπιδι μὲν Σαίων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ Θάμνω,  
 ἔντος ἀμώμητον, κάλλιπον οὐκ ἐθέλων,  
 ψυχὴν δ' ἐξέσασσα. τί μοι μέλει; ἄσπις ἐκείνη  
 ἐρρέτω· ἐξαῦτις κτήσομαι οὐ κακίω.

De tertio versu non constant testes; ego eam formam praetuli, quae et antiquissimi auctoritate commendatur, Aristophanem dico, et asyndeta reddit maxime tolerabilia. Nec tamen in eo cardo rei versatur.

Nondum animadversum esse video etiam in secundo versu ἐμφασιν quandam subesse. Perperam enim Diehlius recentissimus editor ἔντος ἀμώμητον Archilochi cum Teucris apud Homerum ἀμύμονι τόξω (Il. XV 463) comparavit: longe alia est eiusdem epitheti vis in arcu solius domini manibus tractando, alia in clipeo hostium ictibus obiciendo. Glorietur sane sagittarius teli sui integritate; cominus pugnare solito laudi est, si clipeus eius cribri instar perforatus apparet. Inde haec verba ferocitatis non vituperandae plena:

ἄσπις μὲν ἡμῆ λίγδος ὡς πυκνομματεῖ (Soph. Aechm. fr. 32 N.), quae ab Aiace Oilei iactata esse alibi (Eos XXVIII 44) demonstravi. Quibuscum si Archilocheum ἔντος ἀμώμητον comparatur, etiam manifestior evadit ironia hominis, qui se vix aspectu hoste fugam capessisse praedicet. Recte igitur Sextus Empiricus (Pyrrhon hypot. III 216) impugnare videtur poetam, quod ὡσπερ σεμνυόμενος probrum suum exornet.

## II

Fecerat hoc idem aliquot saeculis ante Critias nobilissimo illo de Archilocho loco, ubi inter multa quae percenset turpia turpissimam esse dicit hanc clipei abiecti confessionem; nec tamen persuasisse videtur Atheniensibus, quin hanc turpitudinem vel pueris in scholis ediscendam proponerent. Nam versus illorum, quos supra attuli, duo primi cum dimidiato tertio a puero scholastico, Cleonymi filio, apud Aristophanem afferuntur. Qua de re nolim mihi obici data opera a comico hos versus electos esse, ut pueri ore pater perstringeretur, celeberrime ille ἀσπιδιοποβλήτης Atheniensis; hoc quidem certissimum est, attamen totus scaenae lepor periisset, nisi de scholastica sua doctrina pullus ille paternas laudes deprompsisset. Videtur igitur non omnibus probatum fuisse inter turpia esse referendum, quod de sese praedicaret Archilochus.

Quod cum recte quidam sentirent, ad illud vitae Archilochi tempus hanc rem rettulerunt, quo eum mercenaria stipendia fecisse suspicamur; quod ego nullo pacto concedere possum. Non quo hanc suspicionem pro falsa habeam; immo ea in re Hauvet tum in libro ceteroquin accuratissimo, quem de Archilocho scripsit (p. 64; 186), iusto cautiorem fuisse censeo. Fuerit mercenarius e. g. in Euboea, Chalcidensibus contra Eretrienses opem conducticiam ferens, quo fr. 3 B alludere videtur; parum tamen credibile est eum eisdem in agminibus, in quibus antea civis inter cives pugnaverit, tunc mercenaria arma tulisse. Atqui ita se res habuerit necesse est; de Thasio enim bello a Thasiis colonis gesto agi vel Saiorum nomen indicat.

Sed ego hoc testimonium, licet ne ipsum quidem ulli dubitationi obnoxium, etiam aliunde fulciri posse credo.

Ad Horatium redeo; qui postquam iocosa animi contritione de parmula illa confessus est, ita Pompeium amicum alloqui pergit:

Sed me per hostes Mercurius celer  
denso paventem sustulit aëre;  
te rursus in bellum resorbens  
unda fretis tulit aestuosis.

Qui si se illic ad Archilochum applicavit, quidni etiam hic hunc eundem auctorem imitatus esse credatur? Et locum quidem, in quem haec imitatio cadere potuit, nisi me opinio fallit, in eis laciniis mihi invenisse videor, quas nobis « Archilochi monumentum Parium » suppeditavit (col. IV A):

νῦν ἐεργμέν[ων φαλάγγων ἡδ' ἀκοντισμῶν διαί]  
πῆ μ' ἔσωσ' Ἑρ[μῆς τρέμοντα, Ζηνὸς ἄγγελος ταχύς;]  
ὅτι δὲ Γλαῦκ[ος ... τῆι κατὰ τὴν Θά]σον μάχῃ κρατησ[άντων τῶν  
Θρακιῶν ...] δηλοῖ ὁ ποιητ[ῆς λέγων·

.... σοι νό]ον

καὶ φρένας τρέ[ψεν θεῶν τις, ὥστ' ἐμοῦ καὶ πατρίδος]  
γῆς ἐπιμνήσαιο τ[ . . . . .

ubi de eis, quae ego ludibundus supplevi, boni consulere velim lectorem; summa non in eis consistit, sed in servato Archilocho et in Glaucō amico eius post tot discrimina patriae reddito. Cui Glaucō nunc demum intelligimus Horatium suum amicum Pompeium substituisse.

## III

Et convenit sane hoc ἔσωσ' Ἑρμῆς poëtae in deos pietati, qui eodem modo (fr. 117 B) Coerani naufragi salvationem ἠπίω Ποσειδῶνι acceptam rettulit. Utriusque rei meminit inscriptionis Pariae auctor, et suo iure meminit, utpote qui Demea duce Archilochi τῆς περὶ Θεοῦς εὐσεβείας καὶ τῆς περὶ τὴν πατρίδα [σπουδῆς] testimonia congresserit. Sed quid tandem parmula illa relicta fiet? Hocine est probi civis in patriam studium?

Sensit hoc praeter eos, qui infeliciter de militia mercenaria cogitaverunt, etiam amicus meus et popularis Vitoldus Klinger, qui Eûs nostrae vol. XXIV (1920) p. 26 sq. hanc quaestionem denuo tractavit; cuius disputatiunculam ut accuratius excerptam experientia moveor, quod hos annales Polonos quidem, latine tamen plerumque scriptos extra patriae fines minus notos esse video. Quod utinam omine Genevensi fretis sperare liceat, etiam eos in periodicorum internationali consessu sedem licet « instabilem », reeligibilitate tamen concessa, nancisci posse! interim tutius erit rem, de qua agitur, fusius referre.

Summa igitur rei secundum Klingerum in voce κτήσομαι posita est; quam qui « per mihi comparabo » vertant, parum eos considerasse praeter hunc sensum etiam alio eam ab Homero (nam ab Archilochi nullum aliud exemplum suppeditari) usurpatam esse, nimirum « bello capiendi », quem praeter alia exempla etiam vocabulo δορίκτητος evinci. Hasta igitur clipei famaeque iacturam se reparaturum ostendere poëtam — ea scilicet hasta, in qua sibi omnia esse pulcherrimo fr. 3 B. testari. Ita inter haec duo fragmenta nexu restituto evanescere ignaviae crimen, quod etiam fragmento 8 B. a poeta removeri.

Iam si quis huic speciosae argumentationi opponere voluerit poëtam ad tale crimen refellendum vix ambigua κτήσομαι voce usurum fuisse, suo iure respondere poterit auctor, cum de fragmento agatur, facile fieri potuisse, ut quae nobis ambigua viderentur, in eis, quae interciderunt, planam et claram explicationem invenirent. Ego vero rem ipsam considero. Iam iam, inquit, fortiter pugnando in clipei amissi locum alium nihilo deteriore nactus ero. Cedo, quomodo? Sine clipeo igitur in certamen descendet? At hoc ne Achilles quidem Πηλιάδος μελίης dominus facere ausus est.

His ego moveor, cum me ne in Klingeriana quidem explicatione acquiescere posse censeo. Et tamen quaerenda est explicatio, ne mira illa contradictio, de qua agimus, remaneat.

IV

Recte et civiliter celebris illa matrona Spartana filium monuisse traditur, ut e pugna aut cum scuto aut in scuto reverteretur; patriae enim causa agebatur, cuius deminutio militum fugam secuta esset. Cuius condicionis quid simile praebebat haec Archilochia apud Thasum pugna? Aut cuiusnam religionis causa hortandi erant Pariorum coloni, ut vitae tot aerumnis redemptae prodigi essent? Num patriae? At veterem reliquerant, novam novo loco condere poterant. An coniugum liberorumque? At secum advexerant, quibus sors concesserat, secum etiam alio abducturi. An fanorum delubrorumque? At deos quoque ipsos portaticios habebant. An sepulcrorum? At nulla erant. Vides prorsus frigere in hoc bello coloniali sanctissima illa verba, quibus ceteroquin Graecorum animi ad summam virtutem erigi solebant (Aesch. Pers. 403).

ἐλευθεροῦτε πατρίδ', ἐλευθεροῦτε δὲ  
παῖδας, γυναῖκας, θεῶν τε πατρῶων ἔδη,  
θήκας τε προγόνων.

Contra summopere cavendum erat, ne colonorum exiguus, ut in tali discrimine, numerus minueretur; hae enim vivae erant patriae condendae opes, pro qua nepotes quandoque civili animo dimicaturi erant. Mirumne his in condicionibus opinionem natam esse plane a civili illa diversam — parvi esse aestimandam armaturae reparabilem iacturam prae vitae salvatione? Simile enim est, quod Theognis exul amicos suos praeconem nimis attendere vetat ad bellum cives inquilinosque vocantem (v. 888):

οὐ γὰρ πατρῶας γῆς περι μαρνάμεθα.

Simile, inquam; nec tamen plane idem. Quin nosmet ipsos interrogemus: amotis illis, quae modo percensuimus, patria, domo, deorum delubris, avorum sepulcris — nihilne restat, quod hominem bene cordatum a fugae turpitudine deterrere possit? Etiam: is quem nos dicimus *honor*em. Ita sane, honorem; quo sensu qui antiquos caruisse opinantur, verborum sonitu sese decipi patiuntur, quod nimirum et Romanorum *honor*, et Graecorum *τιμή* alio sensu usurpari soleant. Rem enim ipsam optime norant, nisi quod eam alio nomine notare solebant. Et Graeci quidem nomine *αἰδοῦς*, quod et alii loci haud pauci evincunt, et omnium luculentissime Theognideum illud (v. 409):

οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσει ἀμείνω  
αἰδοῦς, ἢ τ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρον' ἔπειται.

Iam quid ἀγαθοὶ apud Theognidem valeat, notum est: « bonos » significat, sed Ciceronianos, sive optimates; quibus cum τὴν αἰδῶ propriam esse dicit, idem plane enuntiat, quod nobili libro Montesquieu, cum aristocraticae civitatis vim motricem esse ponit « honorem », itidem ut democraticae « virtutem ».

Quod ego non tam diligenter exponerem, nisi etiam bonae notae philologis ignotum esse viderem; velut Wilamowitzius, qui tamen satis alte in Graecorum indolem penetravit, Platonis illud in Legibus (V 729 B) Theognidea prementis vestigia παισὶν δὲ αἰδῶ χρῆ πολλὴν οὐ χρυσὸν καταλείπειν minus apte vulgarem rationem secutus per *nicht einen Schatz von Gold, sondern von Schamgefühl sollen wir unsren Kindern hinterlassen* vertit (Platon I 698): debebat per *Ehre* vel *Ehrgefühl*.

Theognis igitur praeter δικαιοσύνην, quae latissime patet, viris « bonis » etiam αἰδῶ ut eorum propriam commendat; credimus ne eum Archilochi fugam licet in bello coloniali petitam comprobaturum fuisse? Minime vero; eodem enim loco, quo exsules praecanis voci aurem praebere vetat, utpote non pro patria dimicaturos, ita tamen pergit:

ἀλλ' αἰσχρὸν παρεόντα καὶ ὠκυπόδων ἐπιβάντα  
ἵππων μὴ πόλεμον δακρυόεντ' εἰσιδεῖν.

## V

Ceterum quod ego per multas ambages demonstrare conatus sum, id plane et simpliciter in eisdem Legibus Plato docet; cuius verba cum plurimum ad Archilochum intellegendum conferant, plene mihi exscribenda sunt. Laetatur enim in hoc opere Atheniensis, condendae Cnosiorum coloniae prospiciens, neque ad mare eam sitam esse neque materiae navalis copiam habere; bellorum enim navalium consuetudinem multis probris hominum mores inquinasse, (IV 706 C) πυκνὰ ἀποπηδῶντας δρομικῶς εἰς τὰς ναῦς ταχὺ πάλιν ἀποχωρεῖν, καὶ δοκεῖν μηδὲν αἰσχρὸν ποιεῖν μὴ τολμῶντας ἀποθνήσκειν μένοντας ἐπιφερομένων πολεμίων, ἀλλ' εἰκυίας αὐτοῖς γίγνεσθαι προφάσεις καὶ σφόδρα ἐτοίμας ὅπλα τε ἀπολλύσιν καὶ φεύγουσι δὴ τίνας οὐκ αἰσχυράς, ὡς φαασίν, φυγάς. ταῦτα γὰρ ἐκ ναυτικῆς ὀπλιτείας ῥήματα φιλεῖ συμβαίνειν, οὐκ ἕξια

ἐπαίνων πολλάκις μυρίων, ἀλλὰ τὸὐναντίον (1). Nonne his verbis aperte Archilochus petitur eiusque clipeus in pugna abiectus? Nec tamen solus. Aliquot enim versibus prius Athenienses retulerat, cum antea sola terrestria eoque honesta bella cognita habuissent, Minoia clade edoctos ipsos quoque rei navali operam dedisse atque ita pro licitis laudabilibusque habere didicisse, quae eis antea — idque optimo iure — turpia visa essent. Una igitur cum Archilocho etiam Athenienses carpit, qui eius probra « sescentis saepe laudibus » digna existiment — idque, ut addere placet, usque eo, ut carmina eius, quibus haec probra amplificet, vel pueris in scholis ediscenda proponant.

Non igitur simplicem, sed re vera duplicem fuisse vides Graecorum de hac re existimationem; neque id mirum. Etenim hanc « honoris » religionem — malo enim hoc vocabulo uti utpote nobis familiarissimo, quamquam Ciceronem video, ubi de viris « summi pudoris » agit, ad litteram Graecorum αἰδῶ vertisse versumve recepisse — hanc, inquam, honoris religionem iam apud antiquos aristocraticum quiddam sapere vidimus; quod etiam magis recentioribus temporibus usu venisse constat. Atavorum enim nostrorum aetate solius nobilitatis proprius existimabatur hic « honor » eiusque symbolum, decantatum illud « verbum nobile », cuius fidem popularis meus Tvardovius vel diabolo servandam censuit; postmodo latius sese pandente cultu etiam vicinos civitatum circulos occupavit, adeo ut nunc ab insulsis « proletariatus » propugnatoribus, rerum memoriae feliciter ignaris, ipsorum sermone pro « burgensi » habeatur. Omnino si hanc opinionis duplicitatem non intellectu solum sed etiam sensu arripere volumus, « duelli » quid dicitur vim obligatoriam nobis repraesentemus; cuius declinatio olim — inter nobiles dumtaxat — pro manifesto ignaviae signo habebatur, nunc a multis et defenditur et adeo commendatur, utpote « superstitionis mediaevalis » iustissima impugnatio. Cuius rei iudex si Plato alter existeret, vereor ne de hac quoque declinatione idem ediceret: οὐκ ἄξια ἐπαίνων πολλάκις μυρίων ἀλλὰ τὸὐναντίον.

Nunc demum credo nos etiam Critiae acerbum de Archilocho iudicium intellegere: fuit enim ut Theognis, ut Plato, acerrimus optimatum causae vindex. A quibus si dissentiebat Enipūs ancillae filius, quid mirum? Poterat nihilominus Demeae sententia, qui popularium causae studium vel nomine ostendebat, pius et in deos et in patriam iudicari.

(1) Idem tamen XII 943 et sqq. ἀναγκαίως quasdam ὕπλων ἀποβολὰς esse concedit, sed tales, ut Archilocho nulla inde excusatio suppeditet.



## VI

Et haec quidem de Archilocho; a quo non diversam fuisse Alcaei Anacreontisque causam vel verbo satis erit indicasse. Uterque enim cum procul a patria dimicaret, in bellis colonialibus clipeum abiecit fertur.

Aliter sane Horatius: qui cum Archilochi infortunium licet figurato sensu in se transferebat, *amara*, ut solebat, *lento temperabat risu*. Deferbuerat enim iamdudum Philippensis illa contentio; poterat sine hominum deorumve ira male ominati tribunatus sui memoriam recolere. Sed de ea re quod addam nihil habeo; exemplarium Graecorum rationem si melius, atque adhuc factum est, illustrasse visus ero, non frustra me lectoris patientia abusum esse censebo.

*Varsavia*

TH. ZIELINSKI